



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

VI. Magdalena altera Esther.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Olim dulce decus, mei que amores,  
 At nunc opprobrium meo pudori.  
 Tot fastidia amara, lacrymasque  
 De fumo & nebulâ, grauesque flammâs  
 Turpes mundicias, decus probrosum  
 Rîsus, & Veneres tot inuenustas,  
 Ludos, illecebras, malos amores,  
 Diris deuoueo, ter execrandis.  
 Et te munde, tuam fidem, tuosque  
 Eiuo laqueos, dolos, & artes,  
 Et leti malè glutinosa vincla.  
 Tu Proteus, dolus ille versipellis,  
 Monstrum cui nitidi micant ocelli,  
 Monstrum cui roseum rubet labellum,  
 Monstrum cui rutili nitent capilli;  
 Sed cui pestiferæ faces ocelli,  
 Virus purpureum rubens labellum,  
 Dolosus laqueus nitens capillus:  
 Et quisquam miser, ah miser! venena,  
 Faces, & laqueos, necesse amabit?

## V I.

## MAGDALENA altera Esther.

**A**LTER adest Xerxes, & Xerxe potentior  
 alter:

Alter & Esther adest, Xerxis honestus Amor.  
 Pulchra prior, Charitumque Charis pulcherrima  
 Sufis:

Fœda sed hæc, fateor, par tamen Esther erit.  
 Esther vt vna tremat, sic atremat altera CHRISTO:  
 Tangit vtrique tremens aurea virga caput.

Virga

Virga sed illa nitens gemmâ de Perside scēptrum;  
 Hæc autem placidi dextera prona Dei.  
 At simul hanc Esther, simul icit & attingit illam;  
 Hæc cadit, illa cadit: casus vterque salus.  
 Ecce verecundo florescit amœna corallo,  
 Et rorat roseaslympida Diua genas:  
 Assueroque nouo supplex accumbit IESU,  
 Vt Domino nubat sponsa decora suo.  
 Cui decorat lacrymis Amor, & pudor ora py-  
 ropis,  
 Esthere hæc Esther pulchrior erubuit.

## V. I. I.

MAGDALENA lacrymis CHRIS-  
 TUM trahit.

FESTA quid obturbas atro conuiuia luctu,  
 Et violas lacrymis pocla Lyæa tuis?  
 Ingenuos potius meâ Magdali lude leporès,  
 Urbanos epulis non malè docta sales.  
 I, citharaque, lyrave, chorove, vel illice cantu.  
 Demulce resonas ad tua plectra dapes.  
 Sed citharaque, lyraque, chorosque, salesque  
 canoros  
 Negligis, & tristes non nisi spargis aquas.  
 Indigner lacrymis, importunoque dolori?  
 Gratulor: in lacrymis dulce quid ægra canis.  
 Dulcius imbres quid est, suadum qui stillat amoris  
 Nectar, & in suado nectare corda capit.  
 Si patulas cor omnè rapit vox blanda per aures;  
 Per vitreos orbes quid vetat vnda trahat?